

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2099

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1257, juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers, et Héloïse, sa femme, reconnaissent, devant l'official d'Évreux, avoir vendu au prix de cent douze sols tournois, aux abbé et religieux de Saint-Taurin, vingt pieds de terre, dans la paroisse de Notre-Dame de Louviers, derrière la maison jadis d'Adam du Martrey, entre la grande maison de pierre de l'abbaye et le perron de Roger du Martrey.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXIII, p. 256.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Ebroicensis, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra quod Radulphus de Plancheio, burgensis de Locoveris, et Helovisa, ejus uxor, in jure coram nobis constituti, recognoverunt et confessi fuerunt se vendidisse, concessisse et omnino dereliquisse religiosis viris abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis viginti pedes terre in latitudine, site in parrochia beate Marie de Locoveris, sicuti se proportat in longitudine retro domum que fuit Ade de Martreyo, inter magnam domum lapideam Sancti Taurini, ex parte una, et perrinum Rogeri de Martreyo, ex altera, pro centum et duodecim solidis turonensibus de quibus predicti Radulphus et Helovysa coram nobis se tenuerunt pro pagatis. Ita videlicet quod predicti religiosi predictam terram in perpetuum tenebunt et possidebunt, libere, quiete et pacifice absque ulla reclamacione ex parte predictorum Radulphi et Helovyse et eorum heredum, et sine omni redditu, servicio et exactione mundana, que ad manus predictorum Radulphi et Helovyse et eorum heredum possunt vel poterunt evenire. Prenominati vero Radulphus et Helovysa, ejus uxor, et eorum heredes predictam terram prefatis religiosis contra omnes et in omnibus tenentur garantizare et liberare et alibi in propria hereditate sua ubicumque reperta fuerit valore ad valorem excambiare, si necesse fuerit, salvo tamen jure capitalium dominorum. Juraverunt etiam se predicti Radulphus et Helovysa, ejus uxor, tactis sacrosanctis Evangeliiis coram nobis, de bona voluntate eorumdem et sine ulla coactione, quod omnia prescripta, prout superius sunt expressa, fideliter tenebunt et inviolabiliter observabunt et quod in predicta terra, neque per se nec per alios, aliquid de cetero reclamabunt.

In cujus rei testimonium et munimen, predicti Radulphus et Helovysa sigilla sua presentibus litteris apposuerunt ; et ad majorem confirmationem nos, ad petitionem parcium, sigillum curie Ebroicensis presentibus litteris apposuimus.

Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo septimo, mense junio.